



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorum Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Et eduxit me in latitudinem, Saluum me fecit, quoniam uoluit me.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

bar penitus derelicta, & illi superiores, me dereliquit, sed protexit me. In quibus iterum fides commendatur nobis, esse rerum non apparentium, sed oportere nos credere tunc esse, praesente domino, fortissimos, quando sumus omnibus infirmiores, sicut Paulus dicit. Cum infirmior, tunc fortior sum. Et Iohel. ij. Infirmus dicat, quoniam fortis sum. Non enim hoc prudentia carnis capit.

Et eduxit me in latitudinem,

Saluum me fecit, quoniam uoluit me.

De angustia afflictionis educet in latitudinem consolationis. Sic Paulus. ij. Cor. j. Benedictus deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra &c. Latitudo enim & angustia, allegorice, consolationem & tribulationem significant psal. iij. In tribulatione dilatasti mihi. Tristitia si quidem contrahit, gaudium dilatat cor & frontem, Prouer. xv. Cor gaudens exhilarat faciem, in merore animi desiccatur spiritus. Et. xvij. Animus gaudens atque floridus facit, spiritus tristis exsiccat ossa. Et secura mens quasi iuge contrahit.

Latitudo, angustia.

Confessio purissima.

Saluum me fecit, Melius Hieronymus. liberabit me. Item, quoniam uoluit me Hieronymus, quia placuit ei. Est autem sensus: Voluntas & beneplacitum suum in me fuit, sicut de Christo dicitur Matth. vj. Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene placuit. Et Luca. ij. Et in terra pax hominibus bonae uoluntatis, id est, beneplaciti. Est autem purissima confessio, fidentissimaque gratitudo in eo uerbo, fecit mihi haec dominus, non quia digna, aut ullis operibus merita sui, sed gratuita sua misericordia, quia sic placitum fuit ante eum, ut humilia respiceret & liberaret, ut non gloriaretur coram eo omnis caro, sed qui gloriatur in domino gloriatur, quia non currentibus nobis, sed complacente & miserente illo, salui erimus.

Et retribuet mihi dominus secundum iustitiam meam.

Et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.

Oportuit & hoc uerbum, retribuet, in praeterito, similiter ceteris, aut cetera quoque in futuro, reddi, ne intelligentia & ordo confundere. Hic enim sese Ecclesia comparat impiis synagoga, cuius comparatione digna fuit, liberari & educi in latitudinem, & si in conspectu dei non haberet, in quo gloriaretur, nisi gratuita beneplacitum dei. Quo affectu, uidimus & psal. vij. &. xvj. peti iudicium a deo super iustitiam. Et si enim nos non nisi accusatione nostri, coram deo iustificamur, tamen impij multis modis nobis iniuriam faciunt, praesertim in uerbo dei. Hoc est, quod hic allegat iustitiam suam, propter quam sibi retributa gloriae liberationem ab inimicis. Aliud est enim iudicium inter deum & nos, aliud inter nos & impios aduersarios, de qua re, inter Iob & amicos suos grandis disputatio est, uolentibus illis, hominem posse eo peruenire, ut & iustus coram deo sit, si coram hominibus nullo sit peccato pollutus, ille contra, iustitiam coram hominibus arrogat, sed coram deo peccatorem sese confitetur, cui omnes peccant & egent gloria dei.

Iob & amici disputant.

Retributio merita quid sunt.

Diximus psal. xij. retributionem in scripturis magis sonare, mutationem passionis quam dignitatem meriti: Nihil enim sunt merita nostra apud deum, sed ipse gratuita misericordia, dum reddit, mutat nostram tristitiam in gaudium, angustiam in latitudinem, sicut dicit Isaias. lxxj. Ut darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis, pro spiritu meroris. Caueamus ergo, iustitiam meam & puritatem seu innocentiam manuum mearum, ab Ecclesia iactatas intelligere, coram deo, sed impij, in Ecclesiam peccata sua confidentem,